



## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Reverendissimi Ac Illustrissimi D.D. Antonii Godeau Episcopi Venciensis Viri Celeberrimi Theologia Moralis**

Ex Purissimis Sacrae Scripturae, Patrum Ac Conciliorum Fontibus Derivata,  
Notis Theologicis Illustrata, Duasque In Partes Divisa

Complectens Tractatus I. De Fontibus Doctrinae moralis. II. De praecipuis  
ejusdem Fundamentis. III. De Peccatis. IV. De Legibus. V. De summario  
dilectionis Praecepto. VI. De primo decalogi Praecepto. VII. De secundi  
decalogi Praecepto

**Godeau, Antoine**

**Augustae Vindelicorum, 1774**

Caput II. Honor sacris imaginibus merito exhibetur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53562](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-53562)

inordinata devotio abesse debet. Publico cultu non sunt honorandi, quos illo dignos Ecclesia non declaravit; licet clam illos colere possimus qui nondum in Sanctorum album sunt relati. Lucilla matrona hispana Martyris cujusdam confessa, quem Martyribus Episcopus non accensuerat osculari solebat: propterea Cæcilianus sapienter illam arguerat: cum autem ipse Carthaginensis Episcopus fuisset electus, schismaticis se illi conjunxit, ut auctoritate sua & divitiis ejusdem electioni adversaretur. Nec temere Sanctorum merita sunt æstimanda, nec privato suo iudicio unum alteri anteferre licet: nec eorum suffragia sunt poscenda, ut ea impetremus quæ æternæ salutis obsunt: nec iis est fidendum ita ut merito temere manifestis periculis objiciamus, aut in peccato perseveremus. Denique sancti Augustini dictum altâ mente reponendum: *Sunima religio est, imitari quod colis.*

## CAPUT II.

*Honor sacris Imaginibus merito exhibetur.*

Controversiam de Imaginibus magno præteritis ardore agitant moderni hæretici: reverentur, idololatrias appellare catholicos, qui illas colunt; quamvis demonstrare nequeant eundem a nobis cultum imaginibus exhiberi quo idola sua Ethnici colebant. Ab idolis sanctas imagines distinguendæ: rem veram istæ representant, illa vero rem fictam. Quamobrem ait sanctus Paulus: *Scimus quia nihil est idolum in mundo* (I. Cor. 8.). Ex idololatriâ

igitur prohibitione non recte infers, omnem quoque imaginem aut effigiem a Deo prohiberi. Suum præceptum primus ipse violasset, cum supra Arcam duas Cherubim imagines fieri iussit (*Exod. 25.*), & cum ejusdem jussu æneum Moyses serpente in deserto exaltavit, in quem aspicientes a serpentum moribus sanabantur (*Num. 21.*).

Libens quidem fateor binis prioribus Ecclesie sæculis non fuisse passim cultas imagines; sed hujusce rei manifesta est ratio. Primo non certa fideles loca habebant, ubi conventus suos agerent: deinde idololatria erat destruenda, nec relinquenda ethnicis ansa fideles accusandi, quasi idola ipsi etiam colerent. Tertullianus nihilominus refert accusatos fideles, quod Crucem colerent; cultus ergo ejus ævo cruci exhibebatur. Cum vero cessavit hoc periculum, & christiana Religio radices egit, in ecclesiis imagines colere cæpere Catholici, ut fidelium oculis Martyrum propter Evangelium cruciatus subjicerent, quemadmodum homiliae, in eorum festis ab Episcopis habitæ, eorundem victorias auditorum animis subjiciebant.

Duplici modo pingi aliquid potest: primo, ut perfectum naturæ illius similitudinem repræsentent; deinde ut verosimile aliquid, aut historicum fingas. Primo modo Deus pingi nequit, aut sancta Trinitas; & hoc sensu interdixere Concilia nonnulla Dei fingere imaginem. Verum si altero pingendi modo utamur, nihil vetat Deum pingi sub specie aliqua, quæ operatio-

nes ejus imperfecte repræsentet. De Deo frequenter sacræ Litteræ loquuntur; ac si brachia gereret, manus, os, pectus, & cor. Dicendumne est sic loquentes sacras Litteras Deo irrogare injuriam cum ipse spiritus sit? Quare igitur injuriam illi inferre dicenda est Ecclesia, dum sub humana specie Deum repræsentat. Cur sub columbæ specie exempli gratia Spiritum sanctum pingere non licebit, sub qua revera supra Deum filium, dum baptizaretur, apparuit?

Haud inficior, populum interdum aliquando in imaginum cultu superstitionem committere monstruosam quandoque, indecoram, turpem & mundanam; verum has Ecclesia non approbat, imo Episcopis præcipit, ut eas in visitationibus suis amputent, & evellant. Tridentina Synodus præcipit (*Sess. 25.*), ut debitus illis honor exhibearur, id est pius, qui ad prototypa referatur. Piæ interdum personæ rudi quadam & indocta erga puerum Jesum, aut sanctam Virginem devotione, eorum imagines indecore oblectantur, aut superbo & prophano cultu exornantur. His posset illud vere dici: *Ut quid perditur hæc?* Vera pietas hos excessus non approbat, debetque prudens Confessarius pœnitentes suos ab hujusmodi retrahere.

Retinendus itaque in Ecclesia est sacrarum imaginum usus, quarum multiplex est fructus. Juvant primo ad alendum augendumque amorem erga Deum & Sanctos, quos ipsæ repræsentant. Deinde nos ad virtutum imitanda exempla excitant, quæ exprimunt; quemadmodum

II. *Ritus, quo Crux dominica colitur* Sc. 473

dom obscenæ imagines ad luxuriam inflammant. Tum passionis Christi, cæterorumque ejusdem mysteriorum memoriam renovant, sicut & illud tritium factorum, quæ Sancti patrarunt. Præterea hoc cultu testamur eandem nos cum Sanctis habere fidem, eorumque doctrinam sequi. Denique exteriori hoc cultu prototypa ipsa veneramur, eorumque salutaria exempla oculis subjiciuntur.

C A P U T III.

*Ritus, quo Crux dominica colitur, sanctus ac perantiquus est.*

Crucifixum oderit oportet, qui cum recentioribus hæreticis Crucis signum detestatur, ejusque usum supersticiosum dicit. Soli dæmones Crucem verentur, nec amant, quia ejus sentiunt virtutem, qua e corporibus ejiciuntur, sicut nos docet historia. Si a fidelibus Sanctorum colendæ sunt imagines, potiori jure Crux est veneranda; ipsa etenim nostræ redemptionis instrumentum fuit, cui Dei filius affixus fuit, & quam divino ipse tinxit Sanguine. Ex ecclesiastica Historia discimus (*Cyrrill. catech. 10, & 13.*), statim ac a Constantini matre Helena Crux reperta est, ejus ope editum miraculum; illamque tunc a Christianis coli cœptam. Ubi que terrarum ejus sunt distributæ particulæ (*Socrat. lib. I. cap. 17.*), quas e collo pendentis religiosæ personæ gestabant, ut ad sororem suam Macrinam scribens sanctus Gregorius Nazianzenus testatur (*Epist. II.*). Ejusdem frustula